

6. part. Quod tamen debet intelligi, & limitari, nisi talis mater sit illustris persona; quia tunc tales filii spurii, seu vulgo concepti non possunt ei succedere ab intestato, nec ex testamento, nec ex aliqua donatione, vel contractu inter vivos: (o) secus tamen est, si tales filii essent naturales tantum; quia tunc bene succederent ei, sicut alteri matri: text. est in *dist. leg. Si qua illustris, Cod. Ad Orph.* idem disponit *dist. lex penultim. tit. 13. part. 6.* Et ratio per quam tales filii naturales possunt succedere matri, & non patri, est, quia pater est incertus, mater verò est certissima, & liquide potest probari quòd ex ea nati sunt; unde merito ei succedunt. Istam rationem probat text. in *leg. Quia semper, ff. de In jus vocand.* cujus verb. sunt: *Quia semper certa est mater, etiamsi vulgo conceperit, text. in leg. Partum, Cod. de Rei vindicat. text. in leg. final. Cod. de Liberal. caus. text. in leg. Partum, ff. de Usur. text. in leg. Si quis cum totum, §. Si ancillam, ff. de Except. rei judic. text. in leg. Idem Pomponius scribit, si frumentum, §. Idem scribit si quam, ff. de Rei vindicat. text. in §. 2. Instit. de Ingenuis, & utrobique DD.*

10. Hodie verò, attenda ista nostra leg. Taur. tales filii naturales, vel spurii, vel vulgo concepti, nullo modo succedunt matri ab intestato, nec ex testamento, extantibus filiis legitimis; sed tantum poterit eis mater inter vivos, vel in ultima voluntate relinquere quintam partem bonorum, quam potest relinquere extraneo, vel pro anima. (p) Non extantibus verò filiis legitimis, vel descendentibus, bene succedunt ei tales filii naturales, vel spurii in totum ab intestato, & ex testamento, etiamsi mater habeat patrem, vel matrem, vel alios ascendentes legitimos: (q) & ita expressè disponit ista leg. 9. Taur. in secunda parte. Quam tamen intelligerem, præterquam si mater esset illustris; ut in *dist. leg. Si qua illustris, Cod. Ad Orph.* quia in hoc jus commune remanet incorrectum: Et confirmatur hoc, quia lex nova generaliter loquens, non debet extendi ad casum specialem per aliam legem determinatum; sed intelligitur, & distinguitur per legem specialem: Istam doctrinam ponit Glossa ordinaria, juncto text. in *leg. Sciendum, ff. Qui satisdar. cogant, in*

(o) Contrarium tenet Tell. *hic num. 2. Matiez. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopilat. glos. 6. num. 2. Paleot. de Nothis, cap. 41. num. 3. Aceved. in dist. leg. 7. num. 23. & vide Spin. de Testament. glos. 1. num. 17. Gregor. in leg. 11. tit. 13. part. 6. verb. Cum legitimo.* Quod verum censeo; nam Authentica, *Si qua illustris, Cod. Ad Orphit. & lex 11. tit. 3. part. 6.* id tantum prohibent, ut legitimis extantibus, spurii matri illustri non succedant; cæterum, legitimis deficientibus, spurios succedere non vetant: vide etiam idem tenentem Velazq. in *leg. 9. glos. 3. num. 3.*

(p) Vide Aceved. in *leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopilat. num. 4.*

(q) Vide quæ diximus in *num. præcedent.* ibi: *Quod tamen debet intelligi.* Idem tenet Covarrub. de Spons. cap. 8. §. 4. in fin. Velazq. *hic glos. 5. per tot. Matienz. in leg. 7. tit. 8. glos. 6. num. 1. & in leg. 1. tit. 8. lib. 6. glos. etiam 6. Tell. hic num. 66. cum aliis quos ipsi allegant.*

glos. 1. ibi Bart. Paul. & communiter DD. Bald. in *leg. Si queramus, propè finem, ff. de Testam.* & ibi Paul. Imol. Aret. & commun. DD. tenet etiam Alex. in *leg. Hac consultiissima, penult. column.* & ibi Jas. 4. column. Imol. cap. 2. de *Testam. 5. col.* facit text. in *leg. Non est novum, ff. de Legib. text. in leg. Sed & posteriores, eod. tit. bonus text. in leg. 2. §. final. ff. de Noxal. act. facit etiam text. in leg. De emancipatis, §. 2. vers. Exceptis, Cod. de Legib. hered. juncta Authentica. Itaque, & ibi Glossa ordinaria, & communis opinio, Cod. Commun. de Success. ubi habetur, quòd de jure Codicis, per dict. versic. *Exceptis, frater consanguineus ex parte patris succedit fratri defuncto in bonis habitis à patre; frater verò uterinus succedit in bonis habitis à matre, &c. & postea dist. Authent. Itaque, unde sumitur, dicit indistinctè, quòd fratres utrinque conjuncti præferantur; sed quando concurrunt consanguinei, & uterini, pariter admittantur: & tamen dicit tibi Glossa, & communis opinio, quòd debent admitti cum distinctione, de qua in *dist. vers. Exceptis.***

11. Dubium tamen necessarium est, an in casu quo filii naturales possunt succedere patri ab intestato, scilicet in duabus uncias hæreditatis suæ, non extantibus descendentibus, vel ascendentibus legitimis; si fortè pater decedat cum testamento in quo filios naturales præterivit, nullam partem hæreditatis eis relinquendo; an possint tanquam præteriti, vel sine causa exhæredati, rumpere testamentum patris, vel aliquo remedio agere ad consequendas dictas duas uncias? Et certè videtur quòd sic: quia regula vera est, quòd in casibus in quibus filio debetur aliqua legitima, vel portio ab intestato; si in testamento sibi illa non relinquatur, potest rumpere testamentum, & remedio competenti contra eum agere: textus est, & ibi Glossa ordinaria, & communis theoricæ DD. in *leg. Cum queritur, Cod. de Inoffic. testament.* de quo latius dixi in suo loco: Sed istis filiis naturalibus debetur successio, hoc est, portio duarum unciarum: Ergò pro eis possunt agere, si reperiantur præteriti in testamento patris. Sed his non obstantibus, tenent contrarium, imò quòd tales filii naturales præ-

præteriti, sint exclusi, nec eis competat aliquod remedium contra testamentum patris; quia nulla lege cavetur, vel indiget pater aliquid eis relinquere; quia licet possint succedere secundum vel præter voluntatem ejus, non tamen contra suam voluntatem, nec eis debetur à jure aliqua legitima. (r) Et istam sententiam ut communem tenet Glossa singularis, in *leg. 1. ff. de Bonis poss. contra Tabul. in verb. Naturales, quam reputant unicam Dyn. & Alber. notat Bart. & communiter DD. illam commendat in leg. Gallus. §. Etiam. 2. column. de Liber. & posth. & illam Glossam dicit singularem Bald. in *leg. 1. Cod. Quorum bonorum. num. 1. eam etiam notat Bald. in leg. final. Cod. de Natur. liber. 1. col. 1. num. idem Bald. in dist. leg. final. Cod. Unde legitimi. 3. col. num. 8. Bald. in cap. 1. de Constitut. final. col. in princip. idem Bald. in cap. Innotuit, de Elect. 2. column. num. 8. illam Glossam dicit singularem Imol. in *leg. Ex facto, de Vulg. & pupil. 5. col. propè fin.* illam etiam dicit ordinariam Paul. in *leg. Si qua illustris, Cod. Ad Orph. num. 4. Corn. in leg. Humanitatis. 3. column. in med. Cod. de Impuber. & aliis. & singularem Jas. in leg. Gallus. §. Quidem rectè. 6. column. num. 12. ff. de Liber. & posthum. idem Jas. in *leg. 1. Cod. de Contra Tabul. 3. col. num. 3. Segur. in Repetit. leg. Cohæredi. §. Cum filie. de Vulgar. 1. col.* Et licet prædicta Glossa pro singulari à Doctoribus allegatur; tamen similis est Glossa, & expressa in §. *Tam autem naturales. Instit. de Inoffic. testam.* quam ad hoc notat Sallie. in *leg. Si qua illustris, Cod. Ad Orph. 1. col. num. 2.* Istam etiam conclusionem tenet Bart. in *Authent. Quib. mod. natur. eff. sui cap. 2. §. Si quis igitur. Collat. 7. in num. 8. Angel. in §. final. 2. col. in medio.* pro qua communi sententia facit text. expressus in *leg. final. Cod. de Natur. liber. ibi: Ut necessitas relinquendi, quem ad hoc considerat Bald. ibi n. 1.* Pro qua communi sententia***

& conclusione ego allego expressam *leg. Part. 8. vers. penult. tit. 13. 6. partit.*

12. Item adde, quòd in casibus, in quibus filii naturales, vel spurii, seu vulgo concepti, possunt succedere matri ab intestato (quod supra dixi) in eisdem, si mater decedat cum testamento, & tales filii non sint instituti in sua legitima, vel justè exhæredati, possunt rumpere, & subvertere testamentum matris, sicut si essent legitimi: (s) text. est notabilis in *leg. Si suspecta, §. De Inoffic. ff. de Inoffic. testament.* cujus verba sunt: *De Inoffic. testamento matris spurii quoque filii dicere possunt.* & ad hoc notat ibi Glossa ordinaria, Odofred. Alber. Bald. Angel. Paul. de Castr. & communiter scribentes: & per illum textum ita tenet etiam Glossa ordinaria in *leg. Si qua illustris, Cod. Ad Orphit. in glos. final. in princ. & ibi DD. Glos. in §. Tam autem naturales. In tit. de Inoffic. testament. in glos. 1. & ibi DD. & idem voluit Bald. per illum text. in *leg. final. 2. column. num. 3. Cod. Fam. ercisc.* ubi dicit: *Quod quantum ad matrem, naturales habent jura legitimorum.* Ex quibus infertur notabilis, & necessaria declaratio ad istam leg. 9. Taur. Ut sicut tales filii naturales, vel spurii succedunt matri ab intestato, & ex testamento, ita etiam succedant contra testamentum, quando sunt præteriti, vel exhæredati. (t) Imò procederet ista conclusio, etiamsi talis mater habeat ascendentes legitimos; ex eo quòd simili casu per hanc leg. 9. Taur. isti filii naturales, sive spurii sunt hæredes ab intestato. (u)*

13. Item adde, quòd omnia supra dicta procedunt quando talis filius naturalis, sive spurius non est natus ex damnabili coitu: (x) secus tamen aliàs, si esset natus ex damnabili coitu, ut adulterino, nefario, incestuoso; quia tunc nullo modo succedit patri, nec matri ex testamento, nec ab intestato. (y) Et ut fundamen-

(r) Vide Covarrub. de Sponsalib. 1. part. cap. 8. §. 4. num. 16. Joan. Lupum *hic num. 6. & 7. Velazq. de Avendañ. hic glos. 4. num. 1. Aceved. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recop. num. 19. Greg. in leg. 8. & final. in fin. tit. 13. partit. 6. Perez in leg. 22. glos. final. tit. 3. lib. 1. Ordinam. column. 168.*

(s) Idem tenet Covarrub. lib. 4. Variar. cap. 21. Aceved. in *leg. 7. tit. 7. lib. 5. Recop. num. 19. Velazq. de Avendañ. in leg. 9. glos. 4. num. 1.*

(t) Idem tenet Roj. in *Epitome successionum. cap. 14. num. 7. pag. 78.*

(u) Nec obstat superior conclusio, quæ habet, quòd licet filius naturalis succedat patri in duabus uncias ex testamento, vel ab intestato; non tamen contra testamentum: Quia respondeo, quòd in nostro casu reperitur expressè decisum in matre, quòd possit rumpere; non verò in patre. Vel aliter; quòd filius respectu patris vocatur in parte, & portione; respectu verò matris vocatur simpliciter, & absolute in omnibus bonis, tamquam legitimus hæres. Et eget decisione Regia.

(x) Vide hac de re latè Covarrub. in *quart. 2. part. cap. 85. num. 16.*

(y) Nec donatione aliquid talis filius ex damnato coitu habere à patre, nec à matre potest: ita Gregor. Lop. in *leg. 10. tit. 13. partit. 7. glos. verb. La donacion: Sotus lib. 4. de Justitia & jure. artic. 1. pag. 1187. verb. Quod autem usque in fin. ubi, & leges Partitarum, & Ordinamenti allegans, considerat leg. 9. Taur. eamque declarat. Quod & fortius videtur probari ex *leg. 4. tit. 3.**

raliter intelligatur, dico, quod propriè adulterinus dicitur, qui esset natus ex muliere conjugata: Nefarius dicitur ille, qui est natus ex linea descendenti: Incestuosus verò, qui est natus ex linea transversali in gradu prohibito: text. est in leg. Si adulterium cum incestu. ff. de Adulter. text. in Authent. de Incest. & nefar. nuptiis. in princip. Collat. 2. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. text. in Authent. Incestas. & in Authent. Ex complexu. Cod. de Incestis nuptiis. text. in leg. Quin etiam. ff. de Ritu nuptiarum. text. in §. Ergo. Instit. de Nuptiis. licèt quandoque unum ponatur pro alio: Et tandem ille dicitur natus ex damnabili coitu, quando esset ex tali accessu, qui venit puniendus aliqua lege communi, vel Regia; ut natus ex stupro commisso cum virgine, vel vidua non retenta pro concubina: imò generaliter, quando esset ex patre, vel matre, inter quos de jure prohibitum est matrimonium, vel coitus reperiatur prohibitus: Nam in his omnibus casibus, talis filius non potest succedere ab intestato: text. est capitalis in Authent. Quibus modis natur. eff. sui. cap. ultim. Collat. 7. cujus verba sunt: *Primum quidem omnis qui ex complexibus (non enim hoc vocamus nuptias) aut nefariis, aut incestis, aut damnatis processerit, iste nec naturalis nominatur, nec alendus est à parentibus, nec habebit ad præsentem legem quamdam participationem.* & ibi Glossa ordinaria. Bart. Angel. & communiter DD. text. in Authent. Quibus mod. natur. eff. legit. cap. ultim. Collat. 6. text. in Authent. Ex complexu. Cod. de Incest. nupt. text. in Authent. Licet. in fin. Cod. de Natur. liber. facit etiam text. in leg. Non facile. in fin. ff. de Gradibus. text. in §. Sunt & aliæ. Instit. de Nuptiis. & ibi Glossa & communiter DD. Et licèt prædicta jura tantùm videantur loqui in patre, & ejus linea, tamen idem est in matre: ita tenet Glossa notabilis & ordinaria in leg. Si qua illustris. Cod. Ad Orph. & ibi Cyn. Jacob. Bart. Bald. Salic. & communiter DD. Glossa in Auth. Ex complexu. Cod. de Incest. nupt. Glos. in §. Novissimè. Instit. Ad Orph. tenet etiam Specul. in tit. de Success. ab intestat. versic. Sed numquid spurii. num. 22. & in versic. Sed agnati. num. 32. & istam dicit communem opinionem Corn. in leg. Si qua illustris. Cod. Ad Orphit. 2. column. Summa Sylvestr. in Part. Filii. 4. col. Cyn. in Auth. Itaque. Cod. Commun.

partit. 6. Et vide latiùs per Aceved. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopilat. num. 27. ubi alios allegat: & infra. num. 36. circa finem. Et de comercio nefario, incestuoso, adulterino, & in habito ex Christiano & Mahometana, & à Domina ex proprio servo, & à famulo ex filia seu consanguinea Domini, tradit latè Velazq. de Avendañ. in dict. leg. 9. Taur. glos. à num. 6. usque ad ultimum.

(z) Vide Aceved. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopilat. num. 5. ad fin. Matienz. in leg. 9. glos. 5. num. 1. tit. 8. lib. 5. Recopilat. Gregor. in leg. 1. tit. 15. & in leg. 4. & final. tit. final. partit. 4. & Paul. Grilland. de Hæreticis. in tit. de Pœnis omnifariam coitus. per totum.

de success. 2. column. Alber. ibid. 2. column. Dyn. in Tract. de Success. ab intestat. 3. column. Roland. in Tract. de Success. ab intestat. 9. column. num. 28. Auton. de Rosel. in Tract. de Success. ab intestat. 5. column. num. 24. Matt. Mathesillan. in Tract. de Success. ab intestat. 4. column. Nicol. de Ubald. in Tractat. de Success. ab intestat. 12. column. num. 44. Licèt Host. in Summ. Qui filii sint legitimi. §. An utrumque. 3. column. teneat contrarium; imò, quòd tales filii succedant matri: & idem tenet Andr. de Iser. in cap. 1. §. Naturales. Si de Feud. defunct. fuer. Controv. inter Domin. & Agn. lib. 2. Feudor. Ant. in cap. Per venerabilem. Qui filii sunt legitimi. Qui dicunt, quòd imò tales filii succedunt matri. Sed superior est verior, & communior opinio.

Ex quibus infero quòd idem est quando esset natus ex Sacerdote, vel Religioso, vel ex aliqua Moniali, vel Religiosa: quia talis filius nullo modo succedit, quia talis coitus est punibilis, vel saltem reprobatur: ista est Glossa ordinaria in Authent. Quib. mod. natur. eff. sui. cap. ultim. in verb. Participium. Collat. 7. & ibi communiter DD. Glos. in leg. Vulgo concepti. ff. de Stat. hom. & tenet Bart. in leg. fin. ff. de His quæ ut indign. 1. col. num. 2. Glos. in cap. Per venerabilem. Qui filii sunt legitimi. in verb. Adulterinis. & ibi Abb. num. 32. idem Abb. in cap. Cum haberet. de Eo quo duxit in matrim. quam poluit per adult. column. pen. num. 11. & ibi Præposit. final column. Summa Sylvest. in Part. Filii. 5. column. num. 7. Dyn. in Tract. de Success. ab intestat. 3. column. num. 10. & 11. Nicol. de Ubald. in Tractat. de Success. ab intestat. 3. column. num. 9. (z)

14. Hodie in nostro Regno filius dicitur natus ex damnabili coitu, ut non possit succedere, quando mater per eum incurreret in pœnam mortis: ita disponit ista lex 9. Taur. in fin. quæ est benè notanda. Ex qua lege primò infero, quòd filius natus ex muliere conjugata, non poterit patri, nec matri succedere. Secundò infero, quòd si esset natus ex stupro commisso cum virgine, vel vidua, licèt non sit retenta in domo pro concubina, benè poterit succedere tam patri, quam matri ex testamento, & ab intestato; cum ex tali accessu non imponatur pœna mortis. Tertio infero, quòd si esset natus ex consanguinea, etiam infra quartum gradum, similiter posset suc-

succedere matri ex testamento, & ab intestato, non extantibus legitimis; quia non incurrit pœnam mortis: (a) patri verò non posset succedere ab intestato; cum non sit talis mulier, cum qua justè pater poterat contrahere matrimonium sine dispensatione; ut in leg. 11. infra. His leg. Taur. ex testamento verò posset succedere patri, sicut quilibet extraneus; non extantibus legitimis. Quarto infero, quòd si esset natus ex patre uxorato, & matre soluta, de jure communi posset succedere matri ex testamento, & ab intestato; quia talis coitus non erat damnabilis, ut in leg. 1. Codic. de Adult. (b) Imò licèt hodiè sit punibilis talis accessus per leges Regias, quando mulier tenetur pro publica concubina conjugati; tamen poterit ei filius succedere, cum non imponatur pœna mortis: patri verò non posset succedere ab intestato; cum illo tempore non poterat cum ea contrahere, nec poterat esse ejus concubina, nec hodiè, attenda l. 11. Taur. ex testamento verò, poterit patri succedere sicut quilibet extraneus, non extantibus legitimis; cum non sit natus ex damnabili coitu, per nostram leg. Taur. (c) Et in expressò, quòd talis filius non dicatur natus ex damnabili coitu, tenet Salic. licèt ejus littera sit corrupta, in Authent. Ex complexu, de Incept. nupt.

num. 2. idem Salic. in leg. Si qua illustris, Codic. Ad Orphit. 2. column. num. 3. licèt similiter littera sit corrupta, quia ibi abundat, non. Corn. ibid. 2. col. in princip. Angel. de Aret. in §. Novissimè, Instit. Ad Orphit. 2. column. in medio, versic. Ad unum advertas, Joan. de Plat. in §. 1. ejusd. tit. 1. column. post princ. vers. Et nati ex soluta & viro conjugat. Socin. valdè notabiter, cons. 148. 2. col. versic. His autem non obstantibus.

15. Item advertendum, quòd si talis filius sit natus ex Sacerdote, vel Religioso, vel Moniali, vel Religiosa professa, indistinctè non poterit succedere patri, nec matri ex testamento; nec ab intestato; licèt per talem accessum mater non incurrat pœnam mortis: Et quòd non possit succedere patri, disponit expressè lex 2. tit. 3. lib. 5. Ordinament. ubi cavetur, quòd ut evitetur accessus inter Clericos, & eorum concubinas, prohibetur ne talis filius succedat patri ex testamento, vel ab intestato, vel aliquo contractu inter vivos oneroso, vel lucrativo: idem etiam disponit lex 22. tit. 3. lib. 1. Ordinament. (d) Item, quòd non possit succedere matri, disponit expressè nostra lex 9. Taur. in fin. quod probat isto modo: nam ipsa loquitur circa successionem filiorum ex parte matris; & in fine dicitur, quòd si filii sint nati ex

(a) Contrà, hunc filium ex incestu natum matri non succedere, arbitrantur Gregor. in leg. penult. tit. 13. partit. 6. glos. 9. verb. Hodie per legem, Ricas de Success. ab intestat. cap. 26. num. 27. Matienz. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopilat. glos. 11. num. 1. & 2. Aceved. ibid. num. 44. Velazq. de Avendañ. hic glos. 2. num. 4. Tell. Fernand. hic num. 6. ibid. Velazq. in glos. 8. num. 8.

(b) Hanc eandem sententiam sequitur Matienz. in leg. 7. glos. 11. tit. 8. lib. 5. Recopilat. & tantùm videtur sequi Palac. Rub. in leg. 9. Taur. num. 27. & vide Bald. in leg. Eam quam, Cod. de Fideicommissis, num. 25. vers. Et secus quod in istis. Licèt confundi videtur ex leg. 10. & 11. Taur. Solum enim permittitur naturali relinquere: sed hic non est naturalis, cum tempore quo conceptus est vel natus, pater non poterat cum ejus matre contrahere: est ergo spurius, cui nihil relinquere potest præter quintum. Et videas Roj. in Epitome success. cap. 10. num. 38. Aymon. Cravet. consil. 166. num. 2. ubi post multos concludit, natum ex conjugato, & soluta natum dici ex damnabili coitu. Videas etiam Aceved. in dict. leg. 7. Recopilat. num. 39. Velazq. in leg. 9. num. 4. glos. 2. Covarrub. in quart. 2. part. cap. 8. §. 5. num. 16.

(c) Idem tenet Sot. lib. 4. de Justitia & jure, quest. 5. artic. 1. pag. 278. column. 2. versic. Ita que omnia sua bona potest illi pater dare, & Palac. Rub. in leg. 9. num. 27. His leg. Taur. Contrarium tamen, & sic, quòd etiam ex testamento succedere non possint; supposito quòd (propriè sumpto vocabulo) spurii dicuntur omnes illi quorum parentes tempore generationis, etiam utriusque parentis consensu accedente, matrimonium contrahere non possunt; tenet Covarrub. in quart. de Sponsal. 2. part. cap. 8. num. 3. fol. 129. column. 4. Perez in leg. 1. tit. 2. lib. 5. Recopilat. column. 98. Jul. Clar. lib. 3. Sentent. §. Testamentum, quest. 3. num. 3. pag. 20. Menchac. lib. 3. Controv. illustrium, cap. 102. num. 7. pag. 32. column. 1. in fin. cum sequentibus. Gregor. Lopez, per textum, ibi, in leg. 10. tit. 13. partit. 6. glos. verb. Heredar, Dueñ. in regul. 366. limitat. 7. Molin. lib. 2. cap. 11. num. 27. fol. 328. column. 1. in fin. cum principio sequentis. Velazq. de Avendañ. hic glos. 2. num. 24. fol. 12. & vide quæ diximus supra, num. proximo.

(d) Contrarium tenet Perez, verb. No haya, in dict. leg. 21. verb. Contrarium tamen, & Gregor. in leg. 3. verb. Los de la madre, tit. 21. partit. 4. Sed opinionem hanc securè probat Tell. num. 34. verb. Ex ultimis verbis, docens in hac leg. expressè probari filium matri non succedere. Quam sententiam probat etiam Covarrub. in quart. 2. part. cap. 8. §. 5. num. 17. asserens ita practicari, & Gregorium reprehendens.

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

ex ea & ex Clerico, vel Religioso, quòd servetur illud quod continetur in dict. leg. Ordinam. Sed in illa continetur, quòd tales filii patri non succedant: ergò ista lex Taur. aperte vult, quòd similiter non succedant matri.

16 Dubium tamen est circa materiam, an per legem, vel statutum possit disponi, quòd talis filius natus ex damnabili coitu possit indistinctè succedere patri, & similiter matri? Et breviter videtur quòd non: Primò, quia per hoc invitarentur parentes ad delinquendum; argumento text. in ratione sui, in leg. fin. Cod. de Naturalib. liber. in versic. Filii, cujus verba sunt: Filii enim naturalibus relinqui Constitutiones quantum voluerint, idè prohibuerunt, quia vitium paternum refrenandum esse existimant. Confirmatur per text. in leg. Si unus, §. Pacta quæ turpem causam, ff. de Pactis, ubi habetur, quòd pactum per quod fit remissio delicti futuri, non valet, ne detur occasio delinquendi: & ibi notant Alber. Bald. Angel. Paul. & communis opinio DD. facit text. notabil. in leg. Illud, convenire, ff. de Pactis dotalib. & ibi notant Bald. Salic. & communiter DD. text. in leg. 1. §. Hæc autem actio, ff. Si is qui testament. liber. esse jussus fuerit, quem commendat Bart. text. in leg. 1. §. Illud, ff. Depositum, text. in leg. Contractus quidam, §. 1. ff. de Regul. jur. ibi: Excepto eo, quòd Celsus putat, non valere si convenerit ne dolus præstetur, text. in leg. Nec ex prætorio, ff. eod. tit. Præterea, talis lex esset causa peccati, & idè non est permittenda; ut in cap. fin. ext. de Præscriptionib. & in cap. Cum infirmit. de Pœnitent. & remission.

Ex quo primò infero, quòd non possit quis per contractum, nec ultimam voluntatem alicui remittere dolum futurum in aliqua re, vel causa committendum, ne invitetur ad delinquendum; licèt dolum præteritum jam commissum remittere possit: Ita probat text. notabilis in leg. Quidam decedens, aliàs, Ita autem, §. 7. ff. de Administrat. & peric. tutor. & ibi tenet Glossa ordinaria, Bart. & communis opinio: text. in leg. Si quis rationes, ff. de Liberat. legat. tenet Bart. ubi reputat notabile, in leg. Aurelio, §. Gajus, de Liberat. legat. 2. column. num. 8. & ibi communiter DD. Bald. in leg. Cum necessitatem, Cod. de Fideicommissis. Imol. & Moderni, in leg. Si servus vetitus, ff. de legat. 1. Jas. ubi valdè commendat, in leg. Actione, final. column. Codic. de Transactionib. & ita disponit expressè lex 29. tit. 11. 5. partit. Secundò inferitur, quòd non valet pactum, per quod quis promittit non revocare donationem prætextu ingratitudinis futuræ: & in specie ita tenet Bart. in leg. final. ff. de Pactis, & ibi Bald. Paul. & Jason. Specul. in tit. de Donat. §. 1. vers. Quid si factum sit, Bald. in leg. final. Cod. de Bonis liber. num. 4. Et an va-

leat talis remissio cum juramento? Vide latè Roman. & Modern. in leg. Stipulatio hoc modo concepta, ff. de Verbor. oblig. & omninò Jas. Dec. Jacob. de Sanct. Georg. & Curt. in dict. leg. fin. Cod. de Pact. Tertio infero, quòd licèt pater possit remittere filio ingratitudinem præteritam, ut non exheredetur; tamen non posset remittere ingratitudinem futuram: ita Bart. in dict. leg. final. Cod. de Pact. 1. lect. num. 3. & ibi Angel. 1. col. Paul. final. column. in princ. & communiter DD. Facit text. cum Glos. in leg. Quidam cum filium, versic. Quare, de Verbor. obligat. Quarto inferò, quòd licèt Princeps possit remittere delictum jam commissum, & præteritum, tamen non potest concedere veniam delicti futuri: & in specie ita determinat Jacob. But. in leg. Rescripta, Cod. de Precibus, Imper. offer. & notabiliter ibi Bald. 2. column. num. 4. Paul. Jason. & communiter DD. idem Paul. in leg. final. Cod. Si contra jus, vel util. public. 2. column. Salic. in leg. Castitat. 2. column. post princ. Cod. de Adulter.

Et istam conclusionem, scilicèt, quòd non possit talis lex, vel statutum valere, tenet notabiliter Hostiens. in Summa. Qui filii sint legitimi, §. Qualiter, penultim. column. versic. Quid si Imperator. Cardinal. in cap. Per venerabilem, eod. tit. final. column. & quæstion. ubi allegat, alios solemnes DD. ita consuluisse: tenet etiam Bart. in leg. 3. ff. de Testam. 2. column. num. 7. & dicit, ita tenuisse solemnes viros, quos ipse refert: tenent etiam Bald. Imol. & alii DD. Anchar. in capit. 2. de Testament. penultim. column. num. 28. Sed his non obstantibus, teneo quòd Princeps non possit per rescriptum concedere alicui particulari, ut filius ejus postea nasciturus ex damnabili coitu sibi succedat, per prædicta: Sed condendo legem generalem, & communem, benè potest disponere, quòd filii nati ex damnabili coitu possint succedere parentibus; licèt per statutum hoc non possit fieri, ex defectu potestatis statuentium: & ita confirmatur hodiè nostra lex 9. Taur. quæ admittit omnes natos ex damnabili coitu, præter quam eo casu quo mater incurrat pœnam mortis, nec obstat ratio superior: quia respondeo, quòd lex communis non dispensat aliquid in pœna, nec in delicto, sed tantum principaliter circa successionem bonorum: nam aliàs sequeretur, quòd non posset disponere hoc circa filios naturales tantum, propter peccatum evitandum. Confirmatur etiam, quia videmus quòd jus canonicum defert eis alimenta, ut in cap. Cum haberet, & inf. dicitur, ergò lex civilis hæreditatem totam, vel partem eis deferre potest. Rursus confirmatur, quia prædicta lex nihil principaliter disponit in favorem parentum delinquentium, sed tantum in favorem filiorum, qui non peccaverunt. Et in expressò ita tenet Bald. in leg. Cunctos

populos. Cod. de Summa Trinitat. & Fide Cathol. penultim. column. vers. Secundo quæro de effectu. maximè, 10. column. versic. Non obstat si dicatur. Bald. in leg. 1. Cod. de jure aureorum annulor. 1. column. num. 3. & ibi Salic. Bald. in cap. Canonum statuta de Constitutionib. penultim. column. num. 22. Paul. in leg. final. Cod. Si contra jus vel util. pub. 2. column. num. 2. ubi limitat hoc, non extantibus legitimis: extantibus verò, non posset. Et ita possunt reduci ad concordiam opiniones superiores contrariæ.

17 Juxta prædicta tamen necessariò quæro, an nepos natus de filio spurio, nefario, incestuoso, vel ex damnabili coitu, possit institui ab avo, vel quovis alio titulo habere bona sua, non extantibus filiis, vel descendantibus legitimis? In quo articulo verè dico, quòd si talis filius natus ex damnabili coitu jam est mortuus, tunc nepos ex eo optimè potest institui ab avo: ita probat textus notabilis in leg. final. Cod. de Natur. liber. ubi habetur, quòd licèt pater non possit omnia bona sua relinquere filio suo naturali, tamen benè potest relinquere nepoti ex eo: ergò idem dicamus in nostro casu, ut possit. Si verò filius natus ex damnabili coitu non est mortuus, sed vivus; & expressè constat, quòd avus bona sua reliquit tali nepoti contemplatione ipsius nepotis, non patris; ut quia dicit quòd nihil patri acquiratur: tunc talis institutio valet, quia nihil patri acquiratur: argumento textus notabilis in Auth. Excipitur. Cod. de Bonis quæ liber. Si verò filius natus ex damnabili coitu vivit, & nepos instituitur ab avo contemplatione ipsius filii incapacis; talis institutio non valet, sicut quando ipsum filium instituisset: quia ille qui per se est incapax, similiter est mediante personam alterius, argument. text. in leg. 1. Cod. de Natur. liber. in versic. Sive itaque ibi: Sive per interpositam personam. argumento etiam text. in leg. Sed si plures. §. In adrogato. ff. de Vulgar. & pupill. text. in leg. Aditio. §. final. ff. de Acquir. hered. text. in leg. Liber. homo. ff. de Acquir. rerum dom. text. cum materia, in leg. Cum aliquis. Cod. de Jure delib. text. in leg. Quod conditionis. ff. de Donat. causa mort. text. in leg. Neque per se. Cod. de Hæred. instit. text. in leg. Non minus. ff. eod. tit. §. In leg. Non licet. ff. de Contrahend. emptio. text. in leg. 1. versic. final. Cod. de Contractat. judic. text. in leg. Pupillus. §. Sed si per interpositam. ff. de Auctorit. tutor. text. in leg. Labeo. in fin. ff. de Usuc. text. in leg. 2. §. 1. ff. de Administr. rerum ad civit. pertin. cujus verba sunt: Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id ne-

que per subjectam personam agere debet. Si verò sumus in casu dubio, quia non potest constare cujus contemplatione talis nepos institutus; tunc censetur institutus contemplatione ipsius nepotis: unde valebit institutio, & licèt bona sibi retinebit; & hoc modo sit in potestate sui patris, modo non: primò, argumento textus cum ratione, in dict. leg. fin. Cod. de Natur. liber. secundo, quia nemo præsumitur delinquere, nec eligere sibi viam per quam dispositio infirmetur; ut in l. Si miles qui destinaverat. ff. de Milit. testament. tertio, argumento text. in l. fin. in princ. ff. de His quæ ut indig. ubi dicitur, quòd sola ratio paternæ affectionis, vel conjunctionis non inducit suspicionem taciti fideicommissi, quarto, per text. in l. Cognovimus. C. de Hæret. ubi filius hæreticus non potest succedere patri, nec matri; sed nepos catholicus sic. Ex quo inferitur, quòd si nepos ex filia instituitur, valet institutio; cum filia non debeat quæri, propter defectum patriæ potestatis. Ex quo etiam infero, quòd si Clericus, vel quilibet alius habet filium spurium, & incapacem, natum ex damnabili coitu, qui quidem filius habet uxorem; potest pater uxorem ejus hæredem instituere, & ei ex bonis suis relinquere quidquid velit: (e) & idem est è contra; si habeat filiam nuptam, potest pater maritum ejus instituere. Ex quibus judicavi in quæstione de facto, cum essem Assessor judicis recusati: Nam cum tractaretur matrimonium inter filium spurium Clerici ex una parte, & filiam legitimam alterius ex alia, conventum fuit inter eos, quòd pater Clericus certa bona simpliciter donaret patri, vel matri ipsius sponsæ, vel uxoris spurii, vel ipsimet sponsæ, vel uxori: certè judicavi, quòd valeret talis donatio, & non confiscaretur, per supra dicta.

Et ista conclusio clarè procedit respectu proprietatis, cujus est capax nepos: Sed dubium est, si talis nepos sit in potestate patris incapacis, cui applicabitur ille ususfructus? Et breviter dico, quòd remanebit penès ipsum nepotem, cum patri non possit acquiri: quia eo ipso videtur velle avum quòd ususfructus non quærat patris, & sic filio incapaci, sed remaneat penès nepotem, sicut si expressè diceret: argumento dist. Auth. Excipitur. Confirmatur hoc, quia cum patri non possit acquiri prædictus ususfructus; ergò acquiritur ei cui potest, & sic ipsi nepoti: & talis præsumitur intentio disponentis; & sic avi testatoris; argumento textus notabilis in leg. Proinde. §. final. ff. de Stipulation. servor. ubi, relicto, vel promissum servo communi, si non potest quæri utrique domino, acquiritur tantum ei cui potest: textus

(e) Vide Roj. in Epitome success. cap. 20. num. 37. pag. 105. & Didacum Perez in l. 22. tit. 3. lib. 1. Ordinament. column. 163. verb. Tertia cautela.

in leg. Si communis servus meus & tuus. eod. tit. Et in effectu istam conclusionem tenet Bart. in leg. Gallus. §. Quid si is. ff. de Liber. & posthum. 2. & 3. column. ubi plenè tractat, licet sic non declaret: & ibi notat Paul. de Castr. 2. & 3. column. num. 6. Aretin. column. 1. versic. Extra glossam. qui latè loquitur: Alexand. qui dicit magis communem opinionem 2. column. num. 7. Jason. qui dicit hanc esse magis communem opinionem 4. column. num. 18. tenet etiam Angel. in leg. final. Cod. de Natur. liber. & melius quàm alibi, Salicet. 5. quæst. 2. column. Bartol. notabiliter, Consil. 118. Contrariam tamen sententiam tenet Specul. in tit. de Success. ab intestat. §. 1. versic. Quod si habens filium spurium. imò, quòd nullo modò valeat institutio, si talis nepos sit in potestate sui patris, & incapax; quia ille qui est incapax per se, similiter est median- te persona alterius, ut supra, proximo folio allegavi: Si verò talis nepos sit emancipatus, vel aliàs sui juris, valeat institutio; quia sibi totum potest acquiri: Et in specie pro hac sententia facit textus expressus, quem ipse allegat, in leg. Queritur. ff. de Bonis libertor. ubi, si filius patroni justè exheredatur à liberto, nepos ex eo similiter excluditur à bonorum possessione contra Tabullas, si est in potestate sui patris: quam legem dicit ibi Alb. bonam & famosam ad plures quæstiones. Sed his non obstantibus, teneo superiorem sententiam, & communem. Et primò non obstat textus in leg. Queritur de Bon. libertor. quia ille procedit de jure antiquo; secundum quod, omne illud quod quærebat filius, acquirerebatur patri, & non poterat aliquo modò remanere penès filium in proprietate, nec usufructu, etiam de expressa, vel tacita voluntate dantis, vel relinquentis. Hodie verò de jure novo Codic. proprietates quæritur filio, & est capax ejus, & ratione patriæ potestatis patri quæritur usufructus. Præterea, testator, vel relin- quens potest velle, ut usufructus non quæratu- r patri, sed remaneat penès ipsum filium, ut in dict. Authentic. Excipitur: ergò in nostro casu, quando per legem non potest quæri usufructus patri, remaneat penès filium, saltem de tacita voluntate testatoris: & ita resolvit Paul. de Castr. in dict. leg. Gallus. §. Quid si is. 3. column. & est de mente aliorum.

18. Item adde, quòd quotidianum dubium est, an sit aliquis modus tutus, tam de jure, quam in foro conscientie, per quem possit pater, vel mater ultra alimenta aliquid relinquerè filio spurio, nato ex damnabili coitu? Et resolutivè dico, quòd plures modos ponit magistraliter Bart. in leg. final. ff. de His quæ ut indign. 1. column. num. 6. cum sequent. idem Bart. in leg. Si is qui duos. ff. de Liberat. legat. Bald. in leg. final. co-

lumn. 2. Cod. Pro socio Bartol. & DD. in leg. 2. Cod. de Hæred instit. Alber. in leg. Humanitatis. Cod. de Natur. liber. & melius quàm alibi Ludovicus de Sardis de Ferrar. in Libello suo. de Naturalib. liberis in ultima charta. latè Cœpol. in Cautelis suis. Cautel. 38. ubi ponit duodecim modos. Jacob. à Sanct. Georg. in leg. Cum tacitum. ff. de Probat. 2. column. usque ad finem. Sed nullus eorum est benè tutus in justitia, & conscientia, præter unum: scilicet, quando pater, vel mater simpliciter instituit amicum suum capacem, non gravando eum expressè, nec tacitè restituere filio incapaci: nam tunc, si ille amicus hæres institutus vellet restituere hæreditatem, vel partem ipsi filio spurio, & incapaci, rectè potest, & justè filius retinebit: quia postquam amicus hæres adivit hæreditatem, jam unita sunt bona, & consequenter efficitur patrimonium ejus: Unde, si post aliquid dederit filio incapaci, non dicitur succedere, vel habere à patre, sed ab hærede instituto, cui non est prohibitum succedere: argumento textus, junctâ Glossa ordinar. in leg. 1. §. Veteres. ff. de Acquirend. possess. text. in leg. Sed si plures. §. Filio impuberi. ff. de Vulgar. & pupill. text. in leg. Ejus qui in provincia. §. final. ff. Si certum petat. text. in leg. 1. §. Præterea. ff. de Separationib. text. in leg. final. in fine. Cod. de Inoffic. testament. text. melior de jure in §. 1. Instit. de Hæredum qualit. & different. Secundò in expressò, quòd talis filius incapax justè possit habere à prædicto hærede instituto, probat text. valdè notabilis in leg. Qui Titii testamentum. ff. de His quæ ut indign. aufer. ubi, licet ille qui accusavit testamentum Titii de falso, non possit ei succedere; tamen non prohibetur postea succedere ejushæredi, quia non dicitur principaliter succedere Titio: & ad hoc notant ibi Alber. & DD. Ad idem est text. in leg. Post legatum. §. Qui accusavit. in princ. eod. tit. text. in leg. 3. Cod. de Petit. hæred. text. in leg. Cum autem. §. fin. vers. Ponamus. ff. de Edil. edict. & in specie istam conclusionem tenet Specul. Instit. de Success. ab intestat. §. 1. versic. Sed quid si pater instituit extraneum. num. 30. Bart. in dict. leg. final. ff. de His quæ ut indign. aufer. 2. column. in medio. licet ibi dicat, quòd iste modus habet aliquid fraudis. Istam etiam conclusionem tenet Bart. ubi notabil. loquit. in l. Si is qui ex bonis. ff. de Vulgar. & pupill. 1. col. 2. quæst. principal. & ibi notat. Imol. 2. column. & communiter DD. Alber. in Authent. Licet. propè fin. Cod. de Natur. liber. Salic. in l. 2. final. quæstion. eod. tit. istam etiam conclusionem tenet Cœpol. in dict. Cautela 38. fin. column. in fin. Ludovic. de Sardis in dict. Libello suo. de Natur. liber. in fin. ubi dicit, quòd est communis cautela, & melior cæteris. Sed adde, quòd mihi est dubium, an pater sit tutus, amicum instituendo ex ista causa? Si-

Similiter etiam, optimus modus relinquendi filio spurio, & omninò incapaci, est quando instituitur hæres à patre, vel matre sub conditione Si legitimetur: quia tunc, secuta conditione, & legitimatione obtenta, consequitur hæreditatem: ita probat textus notabilis in leg. In tempus. ff. de Hæred. instit. per quem ita tenent ibi Angel. & Joan. de Imol. Bald. in lege Gallus. §. Instituens. de Liber. & posthum. column. 4. notabiliter Imol. 1. column. ultimo notab. Aretin. Alexand. & Socin. 1. column. in princip. Jas. 2. column. num. 5. Paul. in §. Quid si is. in 2. column. ejusdem leg. Aretin. in leg. Si filius familias. ff. de Testament. Et ista est communis opinio, à qua non est recedendum: Licet Bald. subtiliter in Leg. Eam quam. Cod. de Fideicommiss. 11. column. num. 48. expressè teneat contrarium, imò quòd talis institutio sub conditione legitimationis non valeat; quia textus in dicta lege In tempus. & ejus regula, procedit quando incapacitas tantum est ex parte instituti, ut in deportato: secus verò si est in causa efficiendi, & sic ex parte hæredis, & ex parte testantis, ut in spurio; quia tunc non valet, argument textus in leg. Si minor. ff. de Serv. export. & in leg. final. vers. Filiis. Cod. de Natur. liber. Confirmatur etiam, quia conditio legitimationis censetur impossibilis, cum pendeat à voluntate Principis; argument. text. in leg. Apud Julian. alias, Cum servus. §. fin. ff. de Legat. 1. & in leg. Continuus. §. Cum quis ff. de Verbor. obligat. ergò rejicienda de ultimis voluntariis, ut in l. 1. ff. de Condit. instit. & in leg. Obtinuit d. Condit. & demonstr. Si rejicitur; ergò remanet pura institutio, & non valet. Et illud dictum Bald. sequitur, & dicit singulare Paul. in leg. Si filius familias. ff. de Testament. in fin. & tenet. & sequitur Angel. in §. Hæres. 1. column. Instituit. de Hæred. instit. Sed his non obstantibus, tene sententiam communem; & ad contrarietatem Bald. responde subtiliter, ut per Socin. in dict. leg. Gallus. §. Instituens. Secundò non obstat huic sententiæ, si dicas, quòd conditio legitimationis censetur impossibilis, cum à voluntate pendeat Principis, ut in d. leg. Apud Julian. §. fin. ff. de Leg. 1. & in dict. leg. Continuus. §. Cum quis de Verbor. obligat. Si impossibilis: ergò rejiciatur, ut in leg. 1. Cum similib. ff. de Condit. instit. Si rejicitur; ergò institutio ejus non valet. Quia faciliter respondeo primo modo, quòd illa jura procedunt, nisi faciliter soleat Princeps concedere; quia tunc non censetur impossibilis: ita limitant Moderni in dict. jurib. vel aliter quòd illa jura debent intelligi, præterquam si talis conditio requiratur pro substantia, & validitate actus, ut est conditio legitimationis: quia tunc non debet rejici, quia alias totus actus vitaretur: & in specie ita respondet Bald. in leg. 1. Cod. de Ins-

tit. & substit. penult. col. 6. quæst. Pro qua sententia facit textus singularis in leg. Quidam relegatus. ff. de Rebus dubiis. ubi habetur, quòd si testator qui erat relegatus, in testamento suo cavet, quòd ille qui in vita testatoris impetraverit ab Imperatore restitutionem ejus, & decedat antequam ei gratias egerit, habeat certos aureos: quòd talis dispositio valet, & est servanda: Et in terminis ad hoc notat Socin.

19. Ex qua sententia notabiliter infertur, quòd talis filius spurius, & incapax, & natus ex damnabili coitu, institutus sub conditione Si legitimetur, poterit interim pendente conditione agnoscere bonorum possessionem secundum Tabulas, & petere se mitti in possessionem; non ad hoc ut consequatur dominium, & plenum jus hæredis; sed administrationem bonorum, & eorum possessionem, sicut curator bonis datus: argument. textus capitalis in lege 2. §. Si sub conditione. ff. de Secunda Tabula, textus in lege Hi demum. & in leg. Si sub conditione. eod. tit. textus junctâ Glossa, & communi opinione, in leg. Si quis instituatur hæres. ff. de Hæred. instit. & in expressò istam conclusionem per prædicta jura tenet originaliter Jacob. de Aret. in lege Libertas testamento. ff. de Marumir. testament. & ibi Alber. qui reputat notabile. Idem Alber. in leg. Si is qui ex bonis. 1. column. ff. de Vulg. & pupil. Bald. in dicta leg. Si quis instituatur. 1. columna in fine. ff. de Hæred. instit. & ibi Angel. & Paul. final. column. in fin. idem Bald. in leg. Gallus. §. Instituens. ff. de Liber. & posthum. 2. column. 4. notabil. & ibi Aret. 2. column. in princip. Alexand. 1. column. in fin. Jason. ibi 2. column. in princip. num. 5. idem Bald. in lege final. finalibus verbis. ff. de His qui sunt sui vel alien. jur. ubi dicit, quòd multoties ita consuluit. Angel. in leg. In tempus. 2. column. ff. de Hæred. instit. Platea in leg. 1. Cod. de Delatorib. lib. 10. in finalibus verbis: Contrarium tamen tenet notabiliter Joan. de Imol. in leg. In tempus. ff. de Hæred. instit. 2. column. in princ. imò quòd nullo modo concedatur sibi administratio bonorum; quia esset facere fraudem legi, quæ vult quòd filius spurius, & incapax non se immisceat bonis paternis: Undè, textus in dicta leg. 2. §. Si sub conditione. de Secundum Tabel. & jura superius allegata, procedunt in hærede habili, & capaci bonorum, qui est institutus sub conditione: secus verò in filio, vel hærede incapaci; quia jure non reperitur cautum, quòd hac via indirecta possit habere. Et idem reperio quòd in expressò tenet Ludov. de Sardis. in dicto Libello. de Natur. Liber. in fine. & Cœpol. in dict. Cautel. 38. final. column. in princip. Jacob. de Sanct. Gregor. in leg. Cum